Incipit Vita et passio sanctissimi oswaldi regis incliti et martyris domini nostri Jhesu christi.



Quam pium igitur quamque sanctum sit sanctorum martyrum propensius immorari preconiis et eorum gesta scriptis commendata posterorum tradere noticiis, multis sanctorum patrum edocemur monimentis. Hac vero occasione et pii martyris Christi atque anglorum regis Oswaldi amore compulsi, quibus quantisque predicetur virtutibus et quali vita claruerit quoque fine ad christum transierit, prout ruditas tui ingenii valuerit deo auctore verbisque venerabilis Bede presbiteri collectum in medium proferre conabimur. Tempore imperii mauricii anno regni eius decimo pontificatum romane et apostolice sedis sortitus est beatus gregorius vir doctrina et actione precipuus, qui divini amoris instinctu ad predicandum verbum dei anglorum genti primus servum dei direxit augustinum. Eo itaque tempore regno nordanhumbrorum prefuit rex fortissimus et glorie cupidissimus adilfridus, qui plus omnibus anglorum primatibus gentem vastavit britonum, ita ut sauli quondam regi israhelitice gentis comparandus videretur, excepto dumtaxat hoc quod divine erat religionis ignarus et paganus. Nemo enim in tribunis, nemo in regibus plures eorum terras exterminatis vel subiugatis indigenis tributarias genti anglorum aut habitabiles fecit. Cui merito poterat illud quod benedicens patriarcha iacob in personam sauli dicebat aptari: Beniamin lupus rapax mane comedet predam et vespere dividet spolia. Unde motus eius profectibus edan rex qui brittaniam inhabitabat, venit contra eum cum immenso et forti exercitu, sed cum paucis aufugit victus. Siquidem in loco celeberrimo qui dicitur dechsastan, id est dechsa lapis, omnis pene eius cesus est exercitus. Hec de ipso refert venerabilis Beda in anglorum historia libro primo capitulo tricesimo quarto. Hic tantus vir adilfridus ex acha sorore eduuini sui postmodum successoris tres dicitur procreasse filios, quorum primus anfridus, alter oswaldus, tercius vero oswius nomen accepit. Hi igitur a primeve nobiliter more tamen gentilium educati maturius gentili licet illustri tamen orbati sunt parente. Adilfrido itaque de medio facto regno successit eduuinus, qui predicatione paulini sue gentis nordanhumbrorum scilicet postmodum episcopi fide ac religione christiana imbutus, post decem et septem annos regni sui vir christianissimus a rege pagano merciorum penda nomine interemptus est. Siquidem tempore toto quo regnavit eduuinus


TECHNISCHE UNIVERSITÄT DARMSTADT
Universitäts- und Landesbibliothek Darmstadt